



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Meditationes De Præcipvis Fidei Nostræ Mysteriis**

Vitæ ac Passionis D.N. Iesv Christi; Et B.V. Mariæ; Sanctorumq[ue] et  
Euangeliorum occurrentium Cum Orationis Mentalis circa eadem praxi In  
sex partes tributæ

Quæ Meditationes Complectitur circa omnia Christi Domini Acta, ab eius  
Baptismo ad finem vsque Prædicationis, Doctrinam, Miracula, Parabolas

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, 1612**

37. De surdo & muto sputo Christi sanato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54633)



dere nolunt, nec fructum ex ea accipere. O bone Iesu, ne patiaris eos, qui plura videre tenentur, ob suam superbiam minus videre: & qui perspicaciorum visum habere deberent, incidere in ciuitatem. Libera Domine nos à superbia, quæ tantæ cæcitatæ est causa.

MEDITATIO XXXVII.  
DE SVRDO ET MVTO,  
quem Chrtistus spūto suo  
sanauit.

PVNCTVM I.

a Mar. 32.



DDVXERVNT ad Iesum surdum  
& mutum. & deprecabantur eum  
vt imponat illi manum. In miseri-  
huius hominis aurium & linguæ  
corporali impedimento confi-  
derandum est, quid illud impedimentum sit  
in spiritu, quæ eius causæ, & remedia?

I.  
De surdita-  
te & impe-  
dimento  
linguæ spi-  
rituali.

PRIMUM, spiritualis surditas est fidei &  
obedienciæ defectus, quando qui nec audire  
nec intelligere vult fidei veritates, nec verba  
Dei, nec præcepta legis eius, nec diuinas in-  
spirationes; sed his omnibus aures surdas  
præbet. Impedimentum linguæ spirituale  
est defectus orationis, & confessionis: cum  
quis non vult suum os aperire ad innocen-  
dum Deum, ad petendam ab eo misericor-  
diam, aut illum laudandum, & gratias ei a-  
gendas



gendas pro acceptis ab eo beneficijs, aut ad sua peccata confitenda, vt eorum obtineat remissionem.

DEINDE ipsa surditas in causa esse solet, cur surdus sit etiam mutus: & vtrumque satagit dæmon, quem S. Luc. b *mutum dæmonium* appellat, clausis enim horum duorū sensuum internorum portis, clauditur quoque porta remedio, quod ingreditur per auditum fidei & obedientiæ, obtinetur verò per locutionē, Deum orando, & peccata ministro eius sacerdoti confitendo. Hoc totum licet mihi ipsi applicare, & considerare me surdum & mutum esse non sicut Dauid, qui *c tanquam surdus non audiebat, & sicut mutus non aperiebat os suum* ad vllum malum; sed contra surdus & mutus sum ad bona. Causa autem est, quia tam corporis, quàm animi auditum paratum semper habeo ad curiositates & vanitates huius mundi; vt eius mendacijs & fraudibus fidem adhibeam, eiusque peruersis legibus ac decretis obediam: ex quo oritur, vt clausum illum habeam ad ea, quæ Deus & eius ministri mihi dicunt, & mandant. Linguam quoque expeditam valde habeo, ad loquendum & garriendum cum hominibus de omnibus, quæ mihi arrident; ad proprias laudes; ad murmuraciones & adulationes aliorum: ex quo prouenit, vt ligata illa sit ad colloquendum cum Deo, & mea peccata cōfitenda: quia ignauia & pudor fortiter illam ligant. O Saluator mi, eiice ex anima mea dæmonium sur-

II.

b Luc. 11. 14.

c Psal. 37. 14



dum & mutum, quod illam possidet; & misericordiâ tuâ infinitâ succurre: siquidem ego, ad tantæ miseræ remedium adhibendum, vires non habeo.

## III.

DENIQUE considerabo, quod sicut hic surdus & mutus nunquam ad Christum pro remedio accessisset, nisi alij illum deduxissent, & pro eo orassent, supplentes suis linguis defectum linguæ muti; sic multi sunt peccatores adeo surdi & muti, vt miseræ suæ oblit, nunquam ad Deum conuerterentur, nisi iusti aliqui pro eis intercederent. Et hoc ipsum urgere me debet, ad orandum frequenter pro conuersione peccatorum; & eos, quo modo potero, ad Christum eiusque ministros adducendos: in memoriam reuocans quod d. Christus videns fidem illorum, qui paralyticum in lecto iacentem ei offerebant, dixit paralytico: remittuntur tibi peccata tua. O Deus infinite, miserere tot surdorum & mutorum, qui sunt in hoc mundo: eiice Domine ex eorum animabus dæmonium, quod surdos illos facit & mutos, vt liberè te audiant, laudent & glorificent in secula. Amen.

dMatt. 9. 2.

## PUNCTVM II.

dMarc. 7. 33

**A**PPREHENDENS IESVS a eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius: & exspuens, tetigit linguam eius. Et suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi ephatha, quod est, adaperire. Considerandum hic est:



est: hæc omnia Christum Dominum fecisse, etiam si quiduis illorum suffecisset; ut ita significaret difficultatem in sanandis surdis & mutis animabus: non quidem ex parte ipsius, sed ex parte prauæ dispositionis, quæ in eis est, propter quam huiusmodi curatio maiori morâ & magis ex instituto est suscipienda.

**PRIMUM**, APPREHENDENS eum manu, abduxit de turba seorsum, ut significaret, huiusmodi ægrotos, ut curentur, debere separare se, quantum possunt ab iis, qui eorum curationem impedire possunt; & à tumultibus & occupationibus negotiorum temporarium; & seorsim attendere recuperandæ sanitati.

**DEINDE**, INGEMUIT, ut huiusmodi animarum miseræ magnitudinem ostenderet; quantumque ipsi dolorem adferant. O quàm graue censendum est illud malû quod ipsummet Deum gemere cogit! O anima, cur non teffles gemis que tuam miseriam, pro qua tuus Dominus gemit & plorat! **DEFLEAS** etiam miserias proximorum, siquidem adeo sunt dignæ pro quibus defleatur, ut etiam Christus pro eis ingemuerit.

**SUSPEXIT** etiam in cœlum ingemiscens, ad significandum, huiusmodi mala feruenti & lacrymosa oratione esse curanda, oculis etiam in cœlum eleuatis, vnde potest venire auxilium: siquidem in terra non potest inueniri.

I.

II.

III.



IV.

QUARTO IMMISIT suos DIGITOS in auriculas eius, vnum scilicet digitum in vnam auriculam, & alterum in alteram, vt Spiritus sancti dona notarentur, quæ per Christi digitos figurantur. nam vt digitus procedit à manu, ita Spiritus sanctus procedit à verbo diuino, quod tanquam manus & brachium est Patris æterni, per quod is omnia operatur. Hæc dona (vt in quinta parte dicitur) aperit nostras aures, vt percipiant & intelligant veritates fidei redduntque dociles & obediens diuinis inspirationibus; & ijs omnibus, quæ ad diuinæ voluntatis executionem pertinent. O Fili Dei vnigenite, qui cum Patre tuo producis Spiritum sanctum, & per vtrumque dona tua hominibus communicas, ingere illa nostris animabus, vt omnes verba tua audientes, tibi pareamus; & sic impleatur quod scriptum est *b populus quem non cognoui, seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi.*

*b Psal. 17. 45*

V.

QUINTO EXSPVIT & tetigit linguam eius sicut exspuit in oculos alterius cæci, cui reddidit visum: vt significaret cœlestem sapientiam, quæ sputo ex ore Christi, qui est sapientia incarnata, caputque nostrum, procedente significatum esse, quæ linguam nostram soluat, vt sciat loqui cum Deo, secū, & cum proximis sicut oportet. Illa docet orationem, Dei laudes, & nostrorū peccatorum cōfessionem, & aptam alienorum reprehensionem, vt illa curentur. Item quia apud homines, præcipue verò apud Hæbreos *c spuere in alterius faciem* magni

*c Num. 12.*

14.



magni contemptus & ruboris est signum, forte Christus Dominus hunc expuit, vt ostenderet, nos, si coeci & muti spirituáliter simus, contemptu & poena dignos esse, quibus nos vult exercere, vt lumen nobis impertiat. Sic *ut d' fel piscis, quo liniti sunt oculi Tobia, mox illos aperuit.* O dulcis IESV, voluptas mihi est, hac ratione expui, siquidem tu es qui expuis, permittens mihi calamitates & tribulationes, quibus mei sensus aperiantur.

SEXTO, absoluto imperio dixit, ephetha, ad ostendendam omnipotentis verbi sui virtutem: nam quamuis homines cum surdis non loquantur, iuxta illud Sapientis *ubi auditus non est, nõ effundas sermonem,* quia reuera frustra esset, at Deus cum eis loqui potest: *si vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti,* potens aures aperire, & ad ipsam animam intrare; vt in ea faciat, quod voluerit; eam ita mutando vt consensum ijs præbeat, quæ ipsi iubet. O Deus omnipotens, *aperi mihi aurem & ego nõ contradicam:* paratus sum enim credere quidquid docueris, & exsequi quidquid iusseris.

EX his sex circumstantiis simul sumptis intelligam, quid ex parte mea facere me deceat, circa iuuandas animas: eas scilicet à peccandi occasionibus subducere, pro illorum peccatis gemere, suspiciens in coelum pro eis orare, & ad Christi ministros deducere, vt illis applicent sacramenta & verba Dei, quibus in virtute Christi, (qui harum infirmitatum

prio-

## VI.

c Eccl. 32. 6.

f Heb. 4. 12.

g Isai. 50. 5.



*h Psal. 57. 5.*

principalis est medicus) sanitati restituantur. Ac denique vnicem illorum dolere, qui, *h sicut aspidēs surda obturant aures suas* aduersus eum, qui sapiēter eorum venena ab eis extrahere conatur; & sapientissimo huic medico supplicabo, vt omnipotentia suā à tali infirmitate velit illos liberare.

## PUNCTVM III.

*a Mar. 7. 35.*

**E**T a statim aperta sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Et præcepit illis, ne cui dicerent. Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant, & eo magis admirabantur dicentes, bene omnia fecit: & surdos fecit audire & mutos loqui.

I. CONSIDERANDA hîc primum est omnipotentia Saluatoris, vt, quod vult, faciat; & nostræ salutis impedimenta remoueat ita, vt qui prius surdus & mutus erat, nunc & benè audiat, & rectè loquatur. Ex quo documentum accipiam, benè loquendi, de bonis scilicet rebus; & eo modo, qui Deo placeat.

*b Psal. 140. 3*

O bone I E S V b *pone custodiam ori meo,* & accipe in manu tua clauēs aurium mearum & linguæ: claudeque & aperi eas, prout conuenit: vt siue taceam siue loquar, siue audiam siue non audiam, semper tibi placeam. Amen.

DEIN-



DEINDE perpendam, quid hoc miraculum in pia illa turba effecerit: dicebat enim de Christo *bene omnia fecit*. O sapientia infinita, qui infantium & simplicium ore tua magnalia prædicas: quàm illud est verum, quod per huius turbæ ora es locutus! bene **D E V S** meus fecisti omnia, quæ initio mundi creasti, iuxta illud *c vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona!* bene fecisti omnia, quæ providentia tua disponis in hoc mundo; quia *d Dei perfecta sunt opera*. Bene fecisti nostræ redemptionis opera, quia summa bonitate omnia sunt plena! O quàm aptè tua miracula fecisti; tuos sermones, tua sacramenta, tuas humiliactiones, & exercitia studiosa tua! bene omnia fecisti in bonum hominum, qui tamen malè tibi responderunt, retribuendo innumera mala, pro innumeris bonis! sed adeo tu bonus es, vt sicut bene fecisti omnia bona; ita bene sustinueris omnia mala? Concede mihi **D O M I N E** ad imitationem tui, me omnia bene facere, vt nihil in me sit, quod tibi malum esse videatur.

DENIQUE perpendam, turbam illam, dum **CHRISTVM** glorificaret, quamuis non nisi vnum surdum & mutum sanasset, dixisse: *& surdos fecisse audire, & mutos loqui*. confitebatur itaque, quòd qui tale beneficium vni còtulit, poterat similia pluribus còferre:

qui

II.

c Gen. 1. 31.

d Deu. 32. 4

III.



qui & paratus erat id facere omnibus, qui in anima sua surdi erant, & muti: modò ipsi vel-  
lent, ex eius misericordia fructu capere: hoc enim illi incumbit ex officio, & ad hoc venit in mundum. O bone IESU, exerce hoc officium cum omnibus infidelibus, vt in te credant; & cum omnibus peccatoribus, vt tibi obediant; & cum tepidis omnibus, vt tibi cum feruore seruiant: ita vt omnes te glorificent, & laudent per secula. Amen.

*MEDITATIO XXXVIII.*  
DE DEMONIACO LVNATICO, surdo, & muto, quem cum discipuli Christi sanum facere non potuissent, ipse sanauit.

PUNCTVM I.

a Mat. 17. 15  
b Mar. 9. 17.  
c Luc. 9. 39.



ACCESSIT a ad IESVM homogenibus prouolutus ante eum dicens, Domine miserere filio meo, quia vnicus est mihi, & lunaticus est, & b habet spiritum mutum, qui, vbicumque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit, & dissipat eum, & vix discedit dilanians eum; nam saepe cadit in ignem, & crebro in aquam: & rogavi discipulos tuos, vt eicerent illum, & non potuerunt.

CON-